



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 36. Franciæ Rex, atque Angliæ Regina Hispaniæ Regi bellum inferentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI
A.C. 1596.
derent, cunctis præteritorum veniam
elargiri paratus esset: attamen, cum
apud plebejos vitium rebus secundis
solemne sit audax superbia, hi Anisiæ
superioris Austriæ oppido ad quinquaginta
millia confluentes arrogantius hæc
in responsis dabant; „nobis libertas ipsa
„vita potior est; nunc autem tempus
„advenit, quo Principes edoceri pos-
„sunt, quod subditis non velut man-
„cipiis, sed tanquam hominibus Christi
„sanguine in libertatem assertis impe-
„rare deberent.„: Sequenti tamen an-
no horum rebellium auctores extremo
supplicio affecti periere; plerumque e-
nim seditionis exitus est seditionum
exitum.

§. XXXVI.

*Franciæ Rex, atque Angliæ Regina
Hispaniæ Regi bellum infe-
rentes.*

*Rapin Thoi-
was l. 17-
pag. 487.
Thu. l. c.*

Cum Elisabetha Catholicam Religio-
nem adversus Belgii rebelles, &
Franciæ Calvinistas a Philippo II. Hi-
spaniarum Rege fortiter propugnari ini-
quo prorsus ferret animo, inito cum
Henrico IV., & Batavis foedere eundem
totis viribus aggredi statuit, hancque
in rem nequidem computatis viginti
duobus Batavorum navigiis centum
quinquaginta navium classem sex mil-
libus

Sæcul. XVI.
A.C. 1596.

libus trecentis sexaginta militibus, ac mille honorariæ militiæ juvenibus, nec non sex millibus septingentis septuaginta duobus nautis validam instruxit, illiusque Architalassum nominavit Carolum Hovardum, cui Robertum Essexiæ Comitem adjunxit, ita tamen, ut huic in terra, illi in mari supremæ auctoritatis prærogativa cederet, promulgato prius diplomate, quo Elisabetha hujus belli adversus Hispanos suscepti æquitatem vindicare, ac ipsos etiam Scotiæ, & Daniæ Reges, aliosque Principes ad initum fœdus sollicitare nitebatur. Ineunte ergo Mense Junio classis Plimutensi portu solvit, inopina vi Gades Urbem obrutura: ne vero Hispani hostium consilia detegerent, Anglicæ naves remotius a Franciæ, & Hispaniæ oris iter tenebant, eo certiori prosperæ expeditionis augurio, quo majori ignavæ securitatis fiducia Hispanos in portu stertere intellexerant; quapropter Angli accelerato cursu die vigesima Junii Gaditanæ Insulæ appropinquant, ad quorum conspectum Hispana classis Puntalam secessit, quam tamen altera die Angli toto impetu aggrediebantur, ac primo binas Hispanorum prætorias naves densa globorum tempestate impetebant: ast Hispani, cum primam hanc classis suæ concussio-

nem

Sæcul. XVI.
A.C. 1596.

nem inultam relinquere nollent, vicifim ferociorem in Anglorum Prætoriam impetum urgent, unde cum ipsa fortitudinis æmulatio, laborisque frustratio animorum indignationem inflammaret, tunc primum utrinque certaminum exarsere studia, cruentoque non minus, ac pertinaci prælio a prima luce usque ad noctem protracto tria majora, ac pleraque minora Anglorum navigia omnino depressa periere, cum autem tertia jam oppugnatione prætoria Hispanorum navis ab Hovardo quateretur, eodemque tempore Batavorum prætoria superveniens in eandem horrendam flammæ grandinem detonaret, Hispani numero hostibus longe inferiores, cum in lubrico, præcipitique prælii fortunam stare cernerent, ipsimet injecto igne Prætoriam suam unacum aliis duobus navigiis incenderunt, cum reliqua classe adhuc innoxia in tutum sese recipientes.

§. XXXVII.

Gades ab Anglis capta.

Spond. n. 14. Interea cum ab Anglis maritimo certamine pugnaretur, Essexiæ Comes cum octingentis Puntalæ exscensione facta ad Gaditanam Urbem recta contendit, primisque expeditionis suæ auspiciis quingentos Hispanos extra urbem
obvios